
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS III.

EXERCITATIO II.

De

ACTIONIBUS HUMANIS MORALIBUS.

Practico-Philosophica.

Pro disputationis exercitio ad sententiarum collationem proposita

In Gymnasio Gedanensi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Phil: Professore Publico

Respondentis partes expediente

CHRISTIANO ROSTEUSCHERO

Dantiscano Borusso.

Ad diem 29. Augusti S. N.

In Acroaterio Philosophico

Horis ab 7. matutinis.

GEDANI. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta. ANNO 1637.

Miscellaneorum
Decadis III. Exercitatio II.
De actionibus
humanis moralibus.

I.

HElvio Pertinaci Cæsari usurpata frequenti ore dictio fuit, Militemus: *L. Septimio Severo Imperatori*, Laboremus, *Vt & in symboli vicem ea successerit. Ei simile si in Ethicis quis usurpet*, &, Agamus, *identidem exclamet, fini disciplinæ satisfecerit, & præcepta factis adornet.* Parum enim est, sentire rectè, nî faciamus rectè: *& ridiculum, sapientum dicta in ore habere, eaq; non factis exprimere. Vt linguarum callens notitiam sine caritate æri tinnienti componitur Apostolo*, 1. Cor: 13. v. 1. *Ita Ethicæ præceptis instructum sine actionibus jure dixeris. Quasi qui Medicos diligenter audiunt, nihil a. eorū, quæ præcipiunt, efficiunt, Vt eos comparat Aristoteles* 2. Nicom. c. 3. *Agendum hic est, & quod habitu didiceris, factis exponendum. Senex quidam ad Olympica, Græciæ ludos spectaturus, veniens, cum nec admitteretur â quoquam, quibusdam etiam in irrisum cederet, ad Lacedæmonios pergens, cum omnes ei adsurrexissent*, quàm bellè, *inquit*, Græci omnes honesta quidem cognoscunt, *sed cognitis soli utuntur Lacedæmonii, narrante* Plutarcho in apophr: Lacon. *Idem de illis, qui Ethicam sine actionibus cognoscunt, enunties. Quando summa præceptorum hic est*, Agendum, *& mores in honestum compositos moralis disciplina requirit, non solū scire aut disputare desiderat, Quo de pulchrè*

Aristoteles c.1.& c.2. *legatur: Videamus in antecessum*, quid actiones humanæ *sint, quæ hic intelliguntur? quotuplices? quibus nixæ principiis? & quæ porrò ad hoc argumentum faciunt, præsente diatribe CVM DEO discutiamus.*

2. *Proximum objectum Ethices actiones humanas esse* d.1.t.17. *dictum. Actiones autem humanæ variæ sunt. Quædam naturales, aliæ animales, aliæ rationales, aliæ artificiales, aliæ supernaturales, aliæ deniq; morales. Non omnes in Ethicis tractandæ veniunt, sed solæ postremæ, ut* c.1. t.16. *notatum. De illis tractanda hic erit realis positio, æquivocatio, definitio, divisio, causæ, subjecta, & affectiones.*

3. Positio *actuum moralium, quòd reverâ dentur actus humani morales, patet* & artificialiter, *à definitione: Quia dantur actiones à voluntate moraliter se habente productæ, in quo essentia actuum moralium consistit, ut* t.4.5. *patebit. Ergò & ipsæ actiones morales dantur:* & inartificialiter, partim *exemplis virtuosorum & vitiosorum, qui actibus illustribus editis celebres evaserunt. Ita in Alexandro M: fortitudinis bellicæ, clementiæ & liberalitatis actus conspicui fuerunt.* Curt.l.10.c.5. *In Pyttaco & Aristide justitiæ.* Valer. M. l.6. c.5. *In Curio, Fabricio, Scipione, Catone abstinentiæ & continentiæ.* Id.l.4.c.3. *In Nerone & Caligulâ crudelitatis, in Heliogabalo spurcitiei & incontinentiæ, In aliis alii:* partim *communi Philosophorum testimonio, qui actus morales dari concedunt, & circa eos producendos Ethicam occupatam esse asserunt. Circa* æquivocationem *nominis nota, actionem interdum* generalissimè *pro quovis actu, finito vel infinito, interno vel externo sumi, quomodo creatio, meditatio, volitio, intellectio, actiones dicuntur: interdum* specialiter, *pro actu rei creatæ externo, & indicio quodam exteriore in sensus & publicam lucem incurrente. Ita hic cumprimis actio sumitur.*

Actus interni inter causas & principia actuum externorum recensentur, V. t. 8. *& hoc modo ad actiones morales reduci solent. Hac ratione actus externus* dupliciter *adhuc spectari potest.* 1. Quà *moraliter est informandus honestate Ethicâ, nondum informatus. Sic habet respectum subjectivum, & est subjectum honestatis Ethicæ, seu Virtutum. Ita ex parte* d. 1. t. 16. *visus:* 2. Quà *moraliter est informatus virtute Ethicâ. Ita habet respectum causativum honestatis Ethicæ, & est proxima causa virtutis moralis. Quomodo* d. 3. *ex parte tradetur. Sic appetitus rationalis & subjectum virtutis moralis est, & causa efficiens, ut ibidem patebit. Hic generaliter ejus natura, in quo consistat, dispicietur.*

4. Definitio *actionum moralium hæc sit:* Actiones morales sunt actiones humanæ externæ, contingentes, à voluntate moraliter constitutâ per rationem practicam directâ ob certum finem productæ.

5. *Ex* genere *dicuntur* actiones humanæ externæ. Actiones, *quomodo in speciebus uno nomine destitutis & duplicatâ voce enunciatis solemus simplicem vocem pro genere assignare, ut cùm justitiam distributivam justitiam, virtutem moralem virtutem, habitum corporis habitum ex genere definimus. Ita hic actiones humanæ* actiones *dicuntur, ut intelligantur* effluxus *esse ab agentibus profecti, & distingvantur ab habitibus & potentiis, quæ etiam in homine sunt, sed non per modum actionum & effluxuum, sed qualitatum & accidentium inhærentium. Actiones autem, quà tales, magis intelliguntur esse ab, quàm esse in.* Humanæ, *ut excludantur* 1. actiones divinæ, *quæ analogiam moralium obtinent, ut clementia, justitia, misericordia, misertio: quæ potiùs eminentius quid sunt actionibus moralibus, quàm actiones morales, &* de DEO nonnisi θεοπρεπῶς sunt intelligendæ, ut ut interdum

dum tribuantur ipsi ἀνθρωποπαθῶς. *Et quod de attributis divinis dici solet, cogitandum hîc de actionibus:* Attributa divina insunt DEO non tantùm virtualiter & eminenter: Sed etiam formaliter, etsi non eo modo, quo qualitates insunt creaturis. Ames. l. 1. medul. c. 4. §. 26. 2. Actiones angelicæ, *vel malæ, ut epichairecakia Diaboli, odium, crudelitas diabolica: vel bonæ, ut castitas, veracitas, justitia sanctorum angelorum:* vel animæ separatæ, *ut temperantia, justitia, veracitas in animâ humanâ separatâ: qui actus magis analogi sunt actionibus moralibus, quàm morales, quomodo & virtutes per analogiam in illis agnoscunt authores, non virtutes rigidè dictas.* V. Thomam p. 1. q. 59. a. 4. Valentiam T. 2. d. 4. q. 2. p. 3. 3. Actiones brutorum, *quæ analogiam actionum moralium habent, ut cum fortiter se gerit leo, castè Elephas, gratè ciconia, temperanter turtur & columba. In quibus magis est umbra & idolum actionis moralis, quàm actio moralis: quomodo & umbras ac idola virtutum in illis agnoscunt authores, non virtutes.* Thomas 1. 2. q. 50. art. 3. Valentia c. l. p. 2. D. I. Mart. lib. 2. part. Metaph. s. 9. q. 4. P. Messias l. 3. mem. c. 26. *Photiniani brutis virtutes & vitia tribuunt.* Socinus resp. c. Puccium c. 6. p. 158. *ex* Gen. 6. v. 12. 13. & c. 9. v. 5. Exod. 21. v. 28. Levit. 20. v. 15. 16. *Ex antiquis* Plutarch⁹ in Gryllo *& alii huc inclinãt. De quib⁹ per discursum videbitur. Vorsti⁹ illis peccatũ assignat in* not. ad disp. 9. p. 392. & amic. collat. s. 90. *Zanaki⁹ conscientiã* l. 3. con. Jac. Mart. s. 2. c. 12. p. 505. *cum Speusippo* ap. Plat. dial. de fine. *Sed hæ sententiæ absurdæ sunt, & adstipulatores paucos, admiratorẽ certè neminẽ hodiè inveniunt, ut alibi fusiùs dicẽdi occasio forsan erit. Dicuntur* 3. Actiones humanæ externæ, *ut distingvantur ab actibus humanis internis, ut meditatio, intellectio, volitio, deliberatio, ratiocinatio intus secum ipso peracta,* de

de quibus t. 3. *dictum. Hæ actus morales hactenus dici possunt, quia ad illos pertinent, tanquam principia illorum & antecedentia, unde & illi proveniunt. Unde* t. 8. *distingventur actiones morales in internas & externas :* Famosè *tamen usus obtinuit, ut externi actus nomine moralium in Ethicis appellentur.* 4. Actiones externæ contingentes, *ut distingvantur à necessarys, quæ à naturâ semper eodem modo agente procedunt, nec aliter determinari possunt. Quales sunt visio, auditio, olfactio, rugitio, locutio, latratus, Mauatus, &c. Nisi in quantum quidam horum actuum ratione gubernari & sic moraliter determinari possunt. Ut locutio in taciturnitate, visio aut auditio rei illicitæ intemperantiâ.* V. d. I. t. 16.

6. *Ex* differentiâ *dicuntur* 1. à voluntate moraliter constitutâ productæ. *In hoc formale actus moralis consistit, quo ab naturali, artificiali, spirituali, speculativo, aut alio distingvitur, & per quod* præcisè in esse morali & Ethico *constituitur, quòd à voluntate* moraliter se habente *producatur.* A voluntate, *ut excludatur intellectus, qui non causa proxima actionis moralis est, sed theoreticæ vel technologicæ, unde speculationes, & artificiales cognitiones exsurgunt : & appetitus sensitivus, quatenus rationis non est capax, in quantum etiam nullum actum moralem producet. Unde nec virtutis est capax, quatenus non rationi subjici potest, ut disput.* I. c. I. *dictum :* A voluntate moraliter constitutâ, *ut intelligatur voluntas non quomodolibet se habens, sed morali aliquo principio ad agendum excitata : sive ea excitatio sit plena & completa, unde act⁹ ex habitu virtutis proficiscuntur: sive semiplena & inchoata, unde actus ex dispositione & præcedentes habitum producuntur : s. excitatio sit ad honestum s. inhonestum, Indifferenter hic illud sumendum. Unde* I. Cum quis *primâ omnium vice actum aliquem v. g. liberalitatis,*

hospitalitatis, justitiæ, motu quodam morali exercet, est actio moralis, sed inchoata, & quæ virtuosa fieri potest, si ulteriùs continuetur. 2. Cum *voluntas actum producit, ad quem non principio morali fertur, sed alius generis, non est strictè actus moralis, etsi illi analogus esse possit. Tale principium, vel divinum, vel diabolicum, vel artificiale, vel violentum esse potest. Quorum nullum actionem verè moralem constituit, ut* th. 7. *patebit. Principium actus moralis voluntatem naturaliter & moraliter se habentem esse oportet, non supernaturaliter & præternaturaliter, vel divinè, vel diabolicè, vel violentè. &c.*

7. *Dicitur* 2. à voluntate per rationem practicam directâ productæ. *Ratio practica propriè est principium morale, quo inducta voluntas actionem verè moralem edit. Et est* judicium practicum, quo voluntas in agendo in respectu ad bonum vel malum morale dirigitur. *Rationem practicam indifferenter hic sume, sive legitimè sit constituta, unde actus boni orientur: s. illegitimè, & hoc vel erroneè, unde actus vitiosi: vel inconsultè, unde actus ex impetu, ignorantiâ & imprudentiâ provenient. De quo* th. 19. *Cùm ergò voluntas actum elicit, secundum ductum judicij moralis, boni vel mali, dicitur actum moralem edere. Unde excludendum* 1. principium dirigens divinum, *cùm DEus voluntatem ad aliquid moraliter agendum incitat, vel immediatè per impulsum aut indicium aliquod internum, ut Simsonē ad occidendos hostes Domini.* Jud. 15. v. 51. *vel mediatè per verbū prædicatum, auditū, lectum, meditatum, ut cum ordinariè homines convertit, & voluntatem ad bona inclinat: vel immediatè habitus virtuosos concreat, ex quibus actus morales produci queant, ut in angelis bonis creatis, & homine integro condito: Vel rebus creatis infundit, ut Apostolis: Vel mediatè*

per

per angelos bonos voluntatem ad aliquid morale agendum inclinat. 2. Principium dirigens diabolicum, *cum voluntas ad actum moralem instigatur à Diabolo, qui peculiariter in tali voluntate, velut in propriâ sede, dominatur. Tales actus per analogiam morales dici solent: strictè tamen morales non sunt, quia non à voluntate merè moraliter se habente & directâ proficiscuntur, nec viribus solius naturæ & moris expediuntur, sed superiore principio egent, quo expediantur.* 3. Principium dirigens artificiale, *quando voluntas dirigitur ad opus edendum ab habitu artificioso, non à judicio rationis practico: ut cum sutor voluntariè calceum suit, sartor vestem. Hic principium dirigens non est ratio practica & civiliter instruens, sed poëtica & artificiosè dirigens: adeoq́ actus productus tali directorio, non est actus moralis & Ethicus, sed artificialis & technicus, qui ad alias disciplinas pertinet, quàm Ethicam.* 4. Principium movens speculativum, *cum voluntas actũ profert, ad quem ab intellectu movetur, quà theoreticè se habet, ut speculationem, cognitionem, ratiocinationem: non est actus moralis, non enim ejus finis est bonitas vel malitia moralis, sed nuda contemplatio. Actus autem morales non in nudâ contemplatione, ut fine, sistunt, sed ad bonitatem & malitiam moralem tendunt, ut illam denominationem subjecto agenti suppeditent.* 5. Principium movens violentum, *ut cum quis ad erogandas Eleemosynas cogitur, quas aliàs non erogaret, actus talis non est strictè moralis, sed coactus, qui non morali principio producitur, sed violento. Et talis actus nec bonus nec malus Ethicè fieri potest, quod actui morali competit, ut post patebit.* V. c. 19. *Dicuntur* 3. actiones ob certum finem productæ. *Actiones morales non fiunt frustrà, sed ob finem. Qui hîc in eo est, ut per talem actum bonus vel malus, virtuosus vel vitiosus, laudandus vel culpan-*

culpandus homo dici possit. Act⁹ moralis hic nondum de facto *est bonus vel malus, sed indifferens ad utrumq́; aptus tamen est, ut talis fieri possit, & denominationem boni vel mali hominis suppeditare. Vnde excluduntur actus, qui boni a. mali moralis ejusq́. denominationis non sunt capaces. Vt actus naturales, ut nutritio, auctio: speculativi, ut intellectio: aut technologici, ut actus sutorius, sartorius &c.*

8. *Hactenus* definitio *actionum moralium: Sequuntur* divisiones. 1. Actus moralis vel est internus, vel externus. Internus, *qui intrà in subjecto manet, non foràs progreditur. Hic inter principia actus exterioris numerandus, quia facit, ut exterior tandem subsequatur, & nisi interior fuisset, externus sequi non potuisset.* Interior *actus varius est.* 1. Inclinatio prima voluntatis ad appetendum, *quâ objecto proposito ab intellectu practico, & cognito, ad appetendum se conformat. Nisi enim intellectus objectum aliquod monstret, voluntas nihil potest appetere, juxta illud: Nihil volitum, nisi prius cognitum. Et ignoti nulla cupido, Quod non est in intellectu, non potest esse in appetitu. Nisi fortè appetitus prorsus sit depravatus & furiosus, ubi in non visa nec percepta ferri potest. Vt in* Catullo Messalino, *qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ,* ap. Juvenal. sat. 4. *de quo in corollario* dis. 5. dec. 1. *egi.* 2. Inclinationem sequens appetitus sensitivi commotio, *quà à sensibus proposita & confusè cognita, tanquam jucunda vel adversa recipit aut respuit. Proposito enim objecto à sensibus, appetitus incipit moveri, & prout objectum, vel jucundum, vel injucundum appræhensum fuerit, illud appetit vel aversatur. Boni est appetitio, mali aversatio.* 3. Appetitus sensualis motum sequens intellectus cognitio, *& voluntatis commotio, quà ultrà & supra sensus objecti honestas vel inhonestas specialiùs cognoscitur, &*

volun-

& voluntati ad appetendum a. fugiendum proponitur. Accedit in homine uberior hæc cognitio, partim ob cognitionis sensualis imperfectionem, quæ tantùm, quæ ad sensus faciunt, percipit & dijudicat, utrum jucunda, an molesta sint; ulteriùs ascendere nequit: partim ob naturalē intellectus perfectionem, quâ prudentiæ habitu inferiores facultates dirigere & ad normam revocare potest. Sicq; & appetitui sensitivo subvenit, distinctiùs objectum cognoscit, voluntati proponit, & ad appetendum illud aut fugiendum persuadet, prout bonum vel malum, verè vel apparenter, cognitum fuerit. 4. Voluntatis plenior appetitio, *quâ objectum cognitum ita appetit, ut seriò eo potiri velit, & intellectum ad subministranda media pro consequendo illo instiget. Hic reciproca intellectus & voluntatis imperatio viget.* Intellectus *voluntati facem præfert, & quid appetendum sit, ostendit.* Voluntas *intellectui stimulum subdit inquirendi medium, quo appetendum possideri queat. Hinc illud vulgatum: Intellectus voluntati portat lucernam, & vicissim voluntas intellectui cognoscendi suppetit appetentiam. Hoc imperium tamen non est* herile & despoticum, *ut inter servum & dominum: sed blandum & politicum, ut inter patrem & filium: impulsio quædam ac irritatio, non jussio. Judicium est intellectus, non imperium: principium voluntatis est* directivum, non imperativum, ut D. Meisnerus p. 3. P. S. s. 1. c. 1. q. 6. *loquitur. Hinc rectè Philosophus mentem appetitui ut regem imperare ait*, 1. Polit. c. 3. *& appetitum rationem audire, ut filius patrem.* 1. Nicom. c. 13.

9. 5. Intellectus de medijs pro fine assequendo consultatio, *quæ est accurata mediorum ad finem consequendum aptorum inquisitio. De hac notandum* 1. Objectum consultabile. *Hoc sit* 1. πρακτὸν & agibile â nobis, *non res prorsùs ne-*

necessaria, ut cœlum, terra, aër: nec prorsus fortuita & â nostrâ potestate remota, ut inventio thesauri, ruina domus: aut prorsus aliena â nobis & nos non attinens, ut bellum Turcæ & Persæ, Iaponensium aut Chinensium: aut prorsus præterita & â nobis non reuocanda, ut lapsus primorum parentum, peccata pueritiæ nostræ, eversio Troiæ, Magdeburgi. Quæri *de præteritis potest, an, quando, quomodo acta sint:* consultari *de illis non potest, nisi ad agnatos & gentiles deducendi videri velimus, ut loquitur* Muretus l. 12. V. L. c. 13. *Est quidem consultatio omnis quæstio: Sed non vicissim omnis quæstio consultatio: Sed de futuro & nos attinente. De* præsentibus *interdum consultatur, sed in ratione futuri, ut in futurum illis consulatur. Sic de liberis rectè informandis, fructuosè ad Academias ablegandis. De* alienis *interdum consultatur, sed quæ æstimativè nostra sunt, aut esse debent. Sic de amicorum commodis, quatenus nostri sunt. De rebus Principis Consiliarij consultant, quia ad ipsos res Principis, ut ijs consulatur, pertinent. De rebus ablatis consultamus, quomodo eas recipiamus, quia nostræ aliquando fuerunt.* 2. Dubium, *& quod non eodem modo semper eveniat. Nam de re eodem modo semper eveniente stulti consultant, ut quomodo cras sol oriturus sit a. occisurus. Sed de dubiè evenientibus est consultatio. Sic Medicus de processu curæ deliberat, quia sanitas non eodem semper modo ad curam consequitur. De ducendis literis perfectus scriba non deliberat, de suendo calceo bonus sutor non, quia ducturam & suturam liquidi artificis semper identicè procedere noverunt, nisi impediatur.* 3. Medium obtinendi finis, *non finis ipse. De fine non consultatur, sed is præassumitur. Si qui Romam ire vult, non deliberat, an Romam eat, sed quibus medijs commodissimè eò perveniat. Non deliberatur, an hostis vincendus, sed quomodò tutissimè victoria ab eo reportetur.* II. Modus consul-

sul-

sultandi, *in quo* & scopus *figendus, ut ratus & firmus sit, non vagus & inconstans:* & medium *maximè conveniens eligendum*, tùm *quantitate, ne nimis numerosa sint media, multitudo enim omnis confusioni affinis:* tùm *qualitate, ut honesta sint, non turpia: inhonestis enim mediis acquirere, est famæ innocentiam prostituere. Nec licet facere mala, ut eveniant bona.* Rom. 3. v. 14. (*Vnde peccant, qui largitione Magistratum acquirunt, ut Sylla præturam*, ap. Plutarc. in Syllâ: *& sub Caligulâ Magistri sacerdotum, ubi magisteria ditissimus ambitione & licitatione comparabat*, ap. Sueton. in Calig: §. 22. *& qui mendacijs in claras familias se inserere voluerunt*, ap. Valeri. M. l. 9. c. 16. *Item qui venenis infecerunt fontes, ut hostes ad deditionem compellerent, ut Aquilius in bello Asiatico*, ap. Florum l. 2. c. 30.) *Vt etiam media sint facilia, possibilia, & utilia. Impossibilibus enim non instruimur, sed eludimur.* III. Executio sequens consultationem, *quæ & ordine perficienda: & occasionis æstimatione, ne oportunitatem agendi perdamus, quæ ingens ad res gerendas est momentum, ut exemplis* Cæsar lib. 3. bel. ciu. c. 70. Camerar: C. 1. c. 8. 80. Valeri. M. l. 7. c. 2. Lycostenes in apop. tit. *de occasione, ostendunt: & aliorum associatione, si per nos solos rei gerendæ impares deprehendamur.*

10. 6. Voluntatis de consultatis decretio, *quâ voluntas certam sententiam de appetendo concipit, & medium aliquod eligendum decernit.* 7. Libera medii electio, *quâ ex consultatis unum eligitur, sepositis alijs, secundum intellectus deliberationem, & voluntatis decretionem. De hoc actu nota* 1. Electio *propriè est actus voluntatis, quo unum medium complectitur præ alio: connotatur tamen actus rationis, quo unum præ alijs amplectendum concluditur, sine quo nulla electio fieri potest. Peculiariter enim hic ille actus rationis intelligi-*

tur, quo media inter se & cum fine conferuntur, quod conferre & ordinare inprimis ad rationem pertinet. 2. Electio *propriè dicta solius naturæ intellectualis est, non brutalis: hæc enim non distinctè confert unum cum alio: nec finem, in quem fertur, formaliter præcognoscit: nec cum indifferentiâ ad utrumq; appetit, sed est determinata ad unum. Non enim positis omnibus requisitis ad appetendum unum objectum, potest etiam non appetere illud, aut oppositum appetere.* 3. Differt *hic actus à voluntate & consultatione, quòd voluntas merum intellectus judicium requirat: consultatio media respiciat: electio consultationem respiciat, ut ex mediis unum eligatur. Voluntas est de fine, electio moralis de ordinatis ad finem. Volumus sani & docti esse: Medicamenta & studia tanquam media ad illa eligimus. Finem in practicis ut principium præsupponimus: media ad illum, ut Conclusiones è principio deductas eligimus. Voluntas etiam aliorum commoda attendit, sic volumus aliorum liberos probos & ingenuos evadere: Electio tantùm nostra. Voluntas appetens, inprimis prava, etiam ad impossibilia se extendit, ut vult avarus totius orbis opes: electio tantùm ad possibilia. Nemo eligit, quæ scit esse impossibilia: aut si ea eligit, sub conditione facit, si sc. essent possibilia, quod optat.* A consultatione *differt electio, quia consultatio præcedit, electio succedit: Consultatio est de mediis disquisitio, electio est disquisitorum assumptio: Consultatio dirigit, electio efficit: illa ad facultatem cognoscentem pertinet, hæc ad appetentem.* 8. Conscientiæ de actu attestatio, *& ad capessendum instigatio: Quâ conscientia actum antecedens, judicium hominis practicum est, suggerens, quid in vitâ decorum sit, quid indecorum: Ita ad volendum a. reprobandum commovens. De hâc nota:* 1. Conscientia est vel *antecedens actum externum, quæ suggerit, quid honestum, quid*

inhe-

inhonestum sit: hæc hîc intelligitur, & inter principia actus externi moralis adduci potest: vel consequens, *quæ actum externum sequitur, estque benè aut malè ab homine actorum index & vindex. Et est, ut ille Cardinalis dicebat:* mala bestia, quæ facit hominem stare contra seipsum. *Hæc ad consequentia actuum moralium pertinet.* 2. Dictamen *conscientiæ antecedentis est* vel affirmans, *ut hoc agendum esse: Et hoc* vel *simplex, cum ut absolutè necessarium aliquid imperat, ut Deum esse colendum, parentes honorandos:* vel *comparatum, cum ut melius & honestius quid suadet, ut ex duob: malis pœnæ & infortunij minus esse eligendum:* Vel negans, *ut non aliquid faciendum esse. Hoc etiam* vel *simplex, & dicitur probibere. Vt non esse furandum, mœchandum:* vel *comparatũ, & dicitur dissuadere, cum satius omitti quàm præstari docet: Vel potius magis hoc fugiendum, quàm illud. Vt magis fugiendum adulterium, quàm furtum: magis sacrilegium, quàm otiũ.* 3. Conscientia *est vel propria vel impropria.* Propria, *in quâ verum est judicium practicum dictans aliquid. Hæc* vel *recta est,* vel *erronea*, vel *probabilis*. Recta *est, quæ dictat id, quod cum jure indubitatò convenit. Estque simpliciter sequenda in moralibus, neque contra eam quidquam committendum ab eo, qui liber est, & persona sui juris. Secus, quod non erit ex fide Conscientiæ, quâ scitur certò, licitum aliquid aut illicitum esse, peccatum erit,* Rom. 14. v. 23. *Qui* alieni juris & *sub alterius imperio agit, in affirmativo conscientiæ præcepto sine præjudicio superioris sui se gerat: in negativo vel se ab mandato superioris absolvi petat: vel obœdire detrectet, si error superioris sit intolerabilis, & DEO magis obædiendum, quàm hominibus, cogitet.* Act. 5. v. 29. *Sic ille præfectus respondebat:* Cæsari debeo obœdientiam, Deo conscientiam. *Sic peccârunt judices, impium Isabelis mandatum de occidendo Nabotho*

exequentes, 1. Reg. 21. *Sed rectè satellites mandatum Saulis exequi detrectabant, quia error ejus erat intolerabilis.* 1. Sam. 22. v. 17. Conscientia erronea *est judicium practicum à jure dissentiens, & dictans agendum aliquid aut omittendum, quod reverâ tale non est. Hic si error invincibilis, & ubi aliter sciri non potuit, omninò conscientia est sequenda, secus fiet aliquid reluctante conscientiâ, quod peccatum, ut ante dictum. Sic si quis ignorat, pecuniam acceptam esse alienam, & occurrenti pauperi conscientia dictet, eleemosynam esse dandam, peccabit, si dare omittat, etsi pecunia sit aliena. Si error sit* vincibilis, *& facile vinci possit & debeat, opera danda est, ut legitimè eximatur. Si non eximatur, sequenda est conscientia* in objecto indifferenti *ex se, nondum honesto vel inhonesto. Tale quid militia est. Si conscientia dictet, non esse militandum, militiâ abstinendum est: si dictet, esse militandum, in militiam eundum: In* objecto malo & inhonesto *non peccatur quidem contra conscientiam, si illa dictet, licita esse illa, quæ sunt illicita. Sic si quis in Platonicâ Repub. vivat, ubi omnia sunt communia, & putet, rectè communionem observari, non peccat contra conscientiam, si communitatem sequatur: aut Laconicâ, ubi furta & adulteria in licito: aut apud Locrenses & Acarnanos, quibus deprædationes licitæ, non peccatur, si putans illa licita iisdem implicetur: peccatur tamen* in objecto, quod est illicitum: *& error circa licitationem ejus excuti posset, si pateretur errans se doceri: adeoq; error hic crassus maculam & culpam agenti impingit. Hic non præcisè ideò peccatur, quod dictamen conscientiæ assumatur in agendo: Sed quòd error sit vincibilis in objecto inhonesto, qui deponi facilè posset, & non vult. Sic Saul peccabat, quòd holocausta offerebat.* 1. Sam. 13. v. 9. 13. *etsi conscientia erronea ipsi licere suggerebat, quia error vincibilis erat in objecto Regi illicito. Conf.* Remonstrantes in Ved. Rapsod. lib. 2. c. 6. p. 138. Conscientia probabi-

babilis *est, cum intellectus probabiliter uni parti assentitur cum formidine oppositi. Differt ab dubitatione, quòd hæc in neutram partem inclinet; opinio in hanc magis, quàm aliam. Hæc sequenda est in objecto probabili,* vel *quà opinionem utramq́;, quando opiniones sunt æquè probabiles:* vel *probabiliorem, cum unius fundamenta sunt firmiora, aut â doctioribus & superioribus magis approbata. Ita minister superioris opinionem in probabilibus sequi potest, quia præsumendũ, eam melioribus niti fundamentis, quàm suam propriam.* Conscientia impropria *est, in quâ nullum proprium judicium determinatè aliquid de re statuens reperitur. Hæc* vel dubia, *cum dubitatur, utri parti assentiri fas sit. Hic periculum errandi adeoq́; peccandi est, itaq́; laborandum, ut dubium eximatur, determinatum constituatur. Sic qui dubitat, & comedit, damnatus est.* Rom. 14. v. 23. Vel scrupulosa, *cum intellectus ad unum se determinat, sed cum scrupulo ex opposito injecto. Hic scrupulus eximendus, certitudo introducenda. Multa hic disquiruntur, quæ ad* Casistas, *scriptores Casuum conscientiæ, pertinent, de quibus alibi fortè plura.*

11. 9. Voluntatis plena & destinata volitio, *quæ est libera actio ex præcedente consultatione & electione unũ assumens, alterum omittens. Dicitur libera actio, quia ab interno essentiæ volitivæ principio elicitur, nullusq́; actus ita ei est internus & essentialis, ac hic. Iam ut voluntas ipsa essentialiter est libera facultas, nec cogitari potest voluntas, nisi simùl cogitetur facultatis libertas: Ita & proximus ejus actus, volitio, est essentialiter liber, & per nullam rationem, intellectum, judicium practicum, aut temperamentum corporis, ita determinari potest, ut eorum aliquid ultimatè sequi cogatur, & ita ultimò determinetur ad sequendum, ut etiam non sequi, vel diversum aut oppositum sequi nequeat. Et probatur hoc.* 1. Quia

in eo differunt potentiæ liberæ â non liberis, quòd liberæ positis omnibus ad agendum requisitis possint adhuc non agere, & non eligere: non liberæ non possint non agere. E. etiam voluntas tanquam potentia essentialiter libera, posito judicio practico, poterit non eligere decretum, sed suspendere actum suum, & sic non semper ab ultimo judicio practico determinabitur. 2. Qui contra *conscientiam scientes volentes agunt, illi agunt contra judicium practicum. Ergò illorum voluntas non determinatur â judicio practico intellectus, sed liberè eligit contrarium. Et validiùs stringet argumentum, si urgeatur exemplum peccantium in Spiritum sanctum, qui scientes volentes sufficienter cognitam veritatem Evangelicam contra propriam conscientiam finaliter reprobant & blasphemant, quorum voluntas directè contra intellectum fertur. Huc & illud Medeæ pertinet:* Video meliora proboquè, deteriora sequor. *Et omnes motus, in quibus voluntas contra rationem ex impetu ruit.* 3. Multi motus *voluntatis antevertunt judicium practicum intellectus, ut cum repentinè sine præviâ deliberatione aliquid appetitur a. respuitur, sub confusâ saltem boni vel mali cognitione. Hic voluntas erit, sed non determinata â judicio practico, quod judicaverit, aliquid appetendum esse: sed anticipata. E. non semper voluntas in motib. suis ab isto judicio practico determinatur. Quomodo rectè hic sentiunt* Scotus 2. sen. d. 6. q. 1. D. Meisnerus d. 21. Antropol. q. 7. & p. 3. Phil. sob. c. 1. Becanus p. 2. T. S. tr. 1. c. 2. q. 5. Suaretzius d. 19. Meta: s. 6, Mendoza d. 14. d. anim. s. 8. Pareus in l. 3. Bella. d. lib. arb. c. 8. Velstenius d. 12. Eth. q. 4. *alÿq.*

12. *Oppositum sentiunt* Bellarm. l. 3. d. lib. arb. c. 8. 9. Valentia T. 2. d. 2. q. 12. p. 1. *alÿq. Et rationibus quibusdam ad ita sentiendum inducuntur.* Conimbricenses *ad utrumq. inclinant in simili quæstione.* l. 3. d. an. c. 13. q. 4. *Pro ob-*

obstantium solutione hic breviter adverte sequentia. 1. Aliud est, *judicium intellectus practicum prærequiri, ut voluntas aliquid eligat: aliud, in eligendo præcisè ad istud judicium alligari. Prius verum est, secundum illa: Ignoti nulla cupido: non cognitum non volitum*, V. t. 8. *Et huc illud* Bernhardi *spectat, quod hic communiter allegatur: Voluntas quocunq; se voluerit, semper comitem habet rationem, non quòd semper ex ratione, sed quòd nunquam SINE ILLA moveatur.* 2. Voluntas *determinatur à judicio practico, sc. ordinariè, quando rationi obsequitur: non autem semper, & quando contra rationem vel imprudentiâ, vel malitiâ fertur. Sic enim illud valet:* Fertur equis auriga, nec audit currus habenas. *Sic auditores* Jeremiæ *intelligebant, bona esse, quæ à Prophetâ jussa erant: ex malitiâ tamen voluntatis eligebant oppositum.* Jer. 44. v. 16. 17. *Elegantem hâc de re adumbrationem, quomodo sensibus interdum magis obsequatur voluntas, quàm rationi, aut Spiritus monitis, Vide ap.* Drexelium l. 2. Nicet. c. 9. § 5. 3. Voluntas *est libera & indeterminata ex sui naturâ, nec eget alieno determinante, sed per essentialem sibi libertatem seipsam ad agendum vel non agendum, hoc vel illud eligendum, determinat.* Causæ naturales *possunt esse indifferentes quoad specificationem, possunt hos vel illos effectus producere, sic intellectus aut substantiam, aut accidens, aut incorporeum potest concipere. Sol leonem, vel equum, vel aliud quid potest producere. Et ubi determinantur ad unum aliquod*, ab alio *determinantur: ut Sol à leone ad producendum leonem: intellectus à specie intelligibili leonis ad concipiendũ leonem. Sed* causæ liberæ, *& quà Specificationem, & quâ exercitium sunt indifferentes, h. e. possunt agere, vel non agere positis omnibus ad agendum requisitis: & hoc aut oppositum agere: & ubi determinantur ad agendum, seipsas activè de-*

terminant. Non pro his alio accedente determinante est opus. Talis causa est voluntas in volitione spectata. 4. Flecti *& persuaderi ab judicio intellectus voluntas potest, necessario determinari non potest. Quia adhuc salva ei manet libertas assumendi vel respuendi. De cæteris in discursu.* Neque temperamentum corporis *volitionem præcisè determinat, ut illud sequi cogatur, ut voluit* Galenus in lib. quod mor: seq. temp: *Mores enim consuetudine & usu parantur, non temperamento: Et in multis contrarij fuerunt temperamento corporis, Vt in Socrate, Stilpone Megarensi, Alcibiade, &c. Nec voluntatis libertas, quæ immaterialis est, per materialem qualitatem, qualis temperamenti est, everti potest.* Dispositivè *ad mores temperamentum facere potest, inclinativè, instrumentaliter, & partialiter: non principaliter, effectivè & totaliter. Sic in quibusdam gentibus mores temperamentū sequuntur, Vt in Australibus crudelitas & sævitia ex atrâ bile: in veteribus Germanis impetus & ira ex ferâ corporis constitutione.* Tacit. in Germ. c. 8. *Similiter in Scythis ex beluino vivendi modo. De quo* Bodinus l. 5. d. Rep. c. 1. *Sic ijdem Australes ad libidines proni ob atram bilem; quæ spumosa est, & libidinem proritat, ut ex lepore videri potest. Scythæ & Veteres Germani tardi ad Venerem ob spiritus frigidos, diffusos, & arefactū per assiduos labores corpus. Sic mercator pacem, miles bellum exoptat. Quidam contemplativæ vitæ sunt addicti: alij practicam magis eligunt ob temperamenti diversitatem, & inde variam sequentem inclinationem. Conf.* Chr. Matthiam l. 3. Eth. c. 10. q. 2.

13. Actus externus *est, qui foràs è subjecto prorumpit, & consultatorum & volitorum est exsecutio. Hic specialiter & καθ' ἐξοχὴν actio civilis in moralibus dicitur, eoq; etiam tanquam principale in hac materiâ membrum potissimum in defi-*

nitione t. 4. *explicatus*, *&* *ulterius* l. c. *deductus est. Dicitur etiam deliberationis & volitionis terminus, in quo voluntas ad possessionem ipsorum electorum per locomotivam aliasquè facultates movetur, & quo obtento quiescit.* II. Actus moralis vel potest esse bonus, vel malus. *Bonus, qui formatur conformis rectæ rationi & legi. Malus qui difformis à rectâ ratione & lege. De bonitate & malitiâ morali actuum moralium nota hic* 1. definitionem, *quâ bonitas dici potest* perfectio actus voluntarij in conformitate cum rectâ ratione & lege consistens. *Malitia* imperfectio actus voluntarii in exorbitantiâ â rectâ ratione & lege consistens. *De quâ plura* dis. 3. *dicentur. Materiale bonitatis & malitiæ moralis est actus moralis, in quo fundatur & radicatur illa. Sicut in actu artificis bonitas artificialis, in actu naturali convenientia naturalis fundatur, ut in esitatione & bibitione. Ita ut hic bonitatem aut malitiam non in genere quærere oporteat, sed in actu morali fundatam, velut materiali & substrato suo, in quo hæret & radicatur illa. Formale est conformitas aut difformitas ad rectam rationem & legem. Vnde in quibus recta ratio & lex locum non habent, in illis bonitatem aut malitiam moralem non requirimus. Vt in inanimatis, ut metallis, lapidibus: aut animatis non sentientibus, ut plantis & vegetabilibus: vel sentientibus irrationalibus, ut brutis, avibus, quadrupedibus, piscibus. In solâ ergò* rationali & intellectuali naturâ *actus bonus vel malus moraliter quærendus. Et prout hic de actu morali agitur, in solo homine, in quo virtutes aut vitia Ethica propriè dicta agnoscimus: non angelis, non Deo, non animâ separatâ.* V. t. 5. *Et in homine non omnis actus moraliter bonus vel malus dici potest: non vegetativus, quatenus rationis expers, sic si ventriculus malè concoquat, auris pravè audiat, oculus distortè videat, non dicuntur isti actus moraliter*

 mali

mali. v. t. 6. 7. *Sed ille, qui rationalis eſt vel ex ſe, vel ex participatione, & à voluntate moraliter conſtitutâ proficiſcitur.* V. l. c.

14. 2. Specificationem, *unde bonitas & malitia moralis determinetur & ſpeciem ſumat? Bonitas moralis ſpecificatur* principaliter ab objecto honeſto ſub formali ratione honeſti ſumpto, *ita ut cujus actus moralis objectum eſt formaliter & præcisè honeſtum, ille bonus moraliter dicitur; quicquid ſit de cæteris actus attributis.* Honeſtum *autem eſt, quod ex ſe rectæ rationi conveniens eſt, in quantum recta eſt. Eſt enim recta ratio tanquam differentia formalis actionum, ut* Scalig. ex. 307. ſ. 27. *loquitur: Et bonitas moralis eſt, quæ ex præſcripto rectæ rationis oritur. Poteſt enim aliàs bonum aliquod eſſe naturale, aliquod delectabile, aliquod fallax & deceptibile, aliquod utile, aliquod entitativum, quorum nullum honeſtum eſt, nec actum in tali bono occupatum moraliter bonum reddere poteſt. Sic tauro bonum eſt gramen, quod comedit, Archimedi jucunda erat inventio modi depræhendendæ fraudis in coronâ regiâ, apud* Vitruvium l. 9. c. 3. *Avaro fallax bonum eſt auri congeſta moles, iter meditanti bonum eſt, aurigam & currum invenire. Furtum eſt bonum entitativè, quatenus actio aliqua eſt: Nihil horum moraliter eſt bonum, niſi quatenus honeſtum cum illis conjunctum eſt. Ita ergò dare eleemoſynam egeno, res in ſe honeſta eſt, quia objectum in ſe honeſtum eſt, & ſub honeſti ratione formaliter aſſumitur. Auferre bona proximo inhoneſtum eſt, quia objectum ex ſe inhoneſtum eſt, & ſub illiciti ratione formaliter aſſumitur.* Secundariò etiam bonitas *determinatur partim* à fine & intentione agentis. *Sic qui bonâ intentione etiam exiguum largitur, laudatur, ut mulier duo æra minuta offerens,* Luc. 21. v. 2. *Et liberalitas non mole doni; ſed animo donantis æſtimatur:* partim

à cir-

à circumſtantiis, *quarum quædam eſſentiales dici poſſunt, quædam accidentales.* Eſſentiales, *quæ totius actus naturam variant, & cùm aliàs malus fuiſſet, in hoc tamen caſu ob illas malus non æſtimetur, vel contrà. Sic improbo aut proditori iraſci honeſtum eſt. Si tamen fiat tempore concionis, publicæ conſultationis, aut publici gaudii, turpe cenſetur. Sic liberaliter ſuccurrere egeno, honeſtum eſt. Si autem in publico & magno ſtrepitu fiat, turpe habetur, & tibi pro oſtentatione imputatur, alter pudore ſuccutitur. Vnde rectè dicitur:* Bona non tantùm bona agenda ſunt, ſed & benè, *i. e. habendo rationem circumſtantiarum, loci, temporis, perſonarum. Et bona opera* non nominibus, ſed Adverbiis *judicanda ſunt, dicebat* Auguſtinus. *Nam circumſtantiæ neglectæ actionem depravare poſſunt. Sic in caſu extremæ neceſſitatis licebat Davidi & ſociis panes propoſitionis edere, quod extra illum caſum non licuiſſet.* 1. Sam. 21. v. 6. Matt. 12. v. 4. *Et in eodem caſu ad conſervandam vitam licet alteri inſcio panem auferre, & comedere, quia bonum, quod unius aliàs fuit proprium, in tali caſu cenſetur factum commune, ut vita alterius ſervetur. Et ſic furtum tantùm materialiter eſt, non formaliter. i. e. actus aliquis, qui aliàs furtum eſſet, niſi in tali caſu eſſet. Ita in caſu neceſſitatis licuit filiis & filiabus Adami matrimonium inire, quod extra illum caſum eſt inceſtus. Et Deus in caſu carentiæ hæredis fratrem juſſit fratris ſui uxorem ducere,* Deut. 25. v. 5. *& ita aliquid ab inceſtu excepit, ut latiùs de tali caſu* Cor: à Lapide in *h. l.* & D. Gerhard. d. Conjug. §. 319. 320. *conſulere potes, quod extra illum caſum inceſtuoſum eſt, vetitum,* Leu. 18. v. 16. *& ob quod Herodes à* Johanne *repræhenſus legitur.* Matt. 14. v. 3. *Sic licere bona ſua à tyranno occupata clam ſurripere, ſi nullum aliud medium appareat juridicè recuperandi, & famæ macula non inuratur, diſputant ICti.* V. Co-

varruu. T. 2. var. res. l. 1. c. 2. §. 14. *ubi multos in hanc sententiam allegat. Sic licita erat ablatio vasorum ab Aegyptiis in* Judæis, *quia mandante Deo peracta*, Exod. 11. v. 2. *extra quem casum in furti analogiam factum incidere potuisset. Hæ circumstantiæ essentiales actum virtutis in specie interdum mutant, & ex unâ specie aliam faciunt. Sic dare eleemosynam ad locum sacrum ædificandum, pauperem sacerdotem alendũ, non est ampliùs in liberalitate, sed fit virtus religionis. Idem fit in actibus malis. Furari rem sacram fit sacrilegium, hominem, plagium: scortari cum conjugatâ fit adulterium, cum consanguineâ incestus. Circumstantiæ circa tales personas aut res tùm velut locum objectorum obtinent: & actus morales circa diversa objecta versantes etiam in speciebus diversificantur. De eo videatur* Becanus p. 2. Th. sch. T. 1. tr. 1. c. 4. q. 4. c. 5. q. 3. & p. 3. tr. 2. c. 37. q. 1. n. 4. Accidentales *sunt, quæ bonitatem vel malitiam actus in eadem specie manendo augent vel minuunt. Tales sunt, quantitas, conatus, intentio, malitia, passio, ignorantia, &c. Sic auferre multum de re alienâ, cujus exempla memoranda V. ap.* Camerar. C. 1. med. c. 64. *facit gravius furtum, quàm parum, ut si olus ex horto furatus sis. Sic multum pro eleemosynâ erogare liberalitatem majorem facit, aliam non facit. Sic ardentiùs Deum colere majorem pietatem facit: minus frequenter orare minorem. Vulgò circumstantias hoc versu comprehendunt:* Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando! *Numerum actuum quidam addunt.* Conimbric. d. 5. Eth. q. 2. a. 1. *negant addendum, quòd non unam operationem circumstet, sed diversas inducat. Sed non facilè negandum, Numerum esse circumstantiam aggravantem vel minuentem. Sic gravius peccat, qui centies scortatur, furatur, quàm qui semel. Et circumstantia non solùm ex eo dicitur, quod actum singularem & unum nu-*

mero circumstet: sed & quòd speciem actus, *Vnde in specie actus, vel unus actus, vel multiplex esse potest, & hinc judicium de graviore aut leviore culpâ sumendum. Sic qui semel scortatus est, vitium in uno actu expresso commisit: Qui vicies, in multis. Hic circumstantia numeri & quoties, omninò intendit vitij speciem, etsi illa in utroq; eadem sit. Quaritur hic*, quomodo circumstantiæ augeant bonitatem? *An intensione gradus, an additione novæ bonitatis? Extensione actus interioris videntur augere, quia voluntatem faciunt actum suum ad plura honesta objecta aut meliora, extendere. At quò plura objecta honesta voluntas vult, eò melior est. Et ut in physicis in majore quanto major est virtus, si cœtera paria sint: ita in majore actu voluntatis in honesto, major est honestas.*

15. Malitia moralis *specificatur* principaliter ab objecto inhonesto formaliter tali, & intentione malâ agentis etiam honestum. Objecto inhonesto formaliter, *i. e. cum id, quod agitur, formaliter est tale, ut honestati virtutis repugnet, sive id intendat agens, sive non intendat: sive id sciat, sive ignoret. Sic ebrietas est mala, quia objectum ejus temperantiæ est adversum, sive Germanus aut Græcus id agnoscat, sive ignoret. Sic Noa ignorãs vim vini inebriat⁹ peccavit*, Gen. 9. v. 21. *Sic ablatio furtiva alienæ rei est mala intrinsecè, sive Lacedæmonii id agnoscant, sive minùs. Nisi peculiaris divina hic intercedat exceptio, de quâ c.* 14. *dictum. Sic enim in casu excepto licitum esse potest, quod aliàs in toto morali regno inhonestum haberetur, nisi Deus excepisset. Author enim naturæ supra & ultra naturam aliquid potest excipere, quod in universâ naturæ serie aliàs exceptionem nec habet, nec admittit. Sic omnes humanitates singulares in totâ rerum naturâ proprias & humanas habent subsistentias. Vna humanitas Christi â Deo hic est excepta, quæ alienam filij Dei habet sub-*

sisten-

sistentiam. Naturæ formale hic ita urgendum, ut salva authori naturæ relinquatur excipiendi potestas. Sic morale formale in rebus Ethicis à nobis ita urgendum, ut salva Authori & naturæ & moris, in certis casibus vis excipiendi relinquatur, extra quos casus semper & formaliter aliquid peccatum futurum est in universo regno morali, quia aliam exceptionem non inveniet. Intentione malâ agentis etiam honestum, *quia talis actus non versatur circa objectum honestum formaliter, i.e. sub formali honestatis conceptu, sed sub alio. v.g. qui eleemosynas largitur vanæ gloriæ causâ.* Matt. 6. v. 1. *Qui orat publicè, ut religiosi speciem affectet.* v. 5. *Qui prohibet furtum alterius, ut ipse rem postea furetur: Qui humilitati studet, ut sanctimoniæ opinionem conciliet: Et omnia opera hypocritarum, fine & intentione hypocriticâ præstita, vituperanda sunt.* Matt. 6. 7. Sirac. 1. v. 36. 37. *Sed* sola intentio bona non faciebat opus bonum, *quia bonitas principaliter ab objecto honesto formaliter tali dependebat, secundariò ab intentione saltem,* t. 14. *Unde rectè Scaliger* ex. 307. f. 27. *actus bonitatem non esse totam ex intentione finis ait, ut quidam voluere: Sed habere principium internum â rectâ ratione, quorum ex utroq; perficiatur. Aliàs sunt etiam actiones quædam haud præcisè bonæ. Cujusmodi sunt actiones justæ, quæ ab homine non justo fiunt. Finis quidem justitia: forma verò & essentia deest actioni, quia deest habitus, atq; ipsa recta ratio. Si igitur* â puero distributio fiat moderata, *itemq; ab Aristide, non dicetur in puero justitia, cum tamen utriq; sit idem finis, & actus utrinq; eandem habeat materiæ speciem, ut aurum. At secundum formam constabit ratio diversitatis, quæ in actione Aristide est, in puero non est.* Quamobrem manifestò actionis bonitatem recta ratio formabit, non solus finis. *Sed malitia* primariò determinatur & ex objecto, & simùl ex intentione agentis

gentis *sine objecto pravo, etiam hoc bono existente.* Secundariò *malitia specificatur etiam â circumstantijs, secundum gradus aut speciem. Sic qui scortatur cum conjugatâ, aliam vitii speciem committit, quàm qui cum solutâ.* V. t. 14. *Qui decies furatur, graviùs peccat, quàm qui semel: Qui quotidie inebriatur, graviùs, quàm qui semel per annum.*

16. *Bonitatis & malitiæ moralis nota* 3. diversitatē, completionem, & competendi ordinem. Diversitas *in duobus est.* 1. Actus *boni & mali differunt, ut species essentiales actuum moralium, quia sumunt differentias ab objectis honestis & inhonestis formaliter talibus, quos intrinseco & transcendentali respectu respiciunt, ut visum. Sed hæc objecta specie differunt. E. & actus ex illis species suas desumentes. Sed hi sunt boni vel mali. Ergò. Deinde habitus bonus & malus essentialiter differunt in moralibus, ut species habitum moralem essentialiter diversificantes. Sic virtus & vitium, justitia, & injustitia specie differunt. Sed ad differentiam habituum sequitur differentia actuum ex habitibus profectorum, per* 2. Nicom. c. 1. *E. & actus essentialiter different. At hi sunt in moralibus boni & mali. E. & tales actus essentiales sunt actuū moralium species. Hoc accipe tamen* per analogiam aliquā, *non de speciebus omninò rigidis. Bonitas actus boni est essentialis differentia ex objecto & moraliter & naturaliter spectato, est enim positiva & realis convenientia in objecto fundata: malitia autem in objecto non est positiva, aut ex naturâ positivâ sumpta, sed defectu privativo. Malitia enim formaliter sumpta est privatio, non positio, ut* d. 3. *videbitur.* 2. In eo est diversitas, quòd *actus* bonus *bonitatis requisita requirat in sensu composito, & aggregatè omnia simùl: sic ut honestus actus sit, & circa objectum honestum versetur, & fine honesto fiat, & circumstantias essentiales honestas servet. Si unum de-*

sit, actus improbandus esse potest. Vt irasci proditori in convivio & hilaritate publicâ. V. c. 14. *nam bona etiam benè agenda sunt.* ch. 14. Malus *malitiæ requisita admittat in sensu diviso, & solitariè unum tantùm sumendo. Sic qui benè agit malâ intentione, peccat, ut qui stipem erogat, ut gloriam inde reportet. Malitia enim est* destruentis *naturæ, unde in uno destruente natura ejus esse potest: bonitas* adstruentis, *unde ad eam ponendam omnia cætera paria esse debent. Et rectè Dionysius* d. diu. nom. c. 4. *Bonum est ex integrâ causâ, malum ex quovis defectu esse potest.* Completio *divisionis in eo est, quod inter actum bonum & malum in moralibus nullus sit medius, quatenus præcisè* actus moralis *spectatur. Aliàs medium quid datur inter actum humanum malum & bonum, indifferens, ut edere, ire, sedere. Sed hi actus non sunt morales, sed naturales. Jam autem disquiritur de* actu humano MORALI. Ordo competentiæ *etiam in duobus est.* 1. In denominatione, *ubi* immediatè *boni vel mali dicuntur actus morales interiores & eliciti, ut quidam vocant, ut actio interna voluntatis circa justum, temperans, immediatè dicitur bona. Talem enim actionem culpa & honestas immediatè respicit:* mediatè *actus exteriores & imperati, ut temperans comestio, liberalis eleemosynæ porrectio.* 2. In Morali & Ethicâ unione, *quà moraliter actus internus & externus concurrunt & pro uno sumuntur. Vt actus temperantiæ ex internâ & externâ actione resultans, actus justitiæ, liberalitatis, ex interno voluntatis motu, & exteriore membrorum actu moraliter complicatus. Et sic in genere actus moralis bonus vel malus denominatur.* Conf. Becan. c. l. c. 6.

17. 3. Actus *moralis* vel est voluntarius, vel involuntarius. Voluntarius, cujus principium est voluntas agentis libera, eligens, & omnes circumstantias quà tales,

les, sciens. *Dari actus voluntarios patet* partim *pœnis, quæ delinquentibus infliguntur: Coacto autem peccato pœna non destinatur:* partim *communi legislatorum, Politicorum, Ethicorum, & hominum sanorum judicio, qui quædam liberè, quædam coactè fieri docent. Plato & Socrates vitia involuntaria statuerunt, & neminem spontè malum esse, sed invitè peccare omnes, dixerunt. Sed si virtutes sunt liberæ, etiam opposita earum sunt libera, quæ sunt vitia. Pluribus de hoc* Aristot. 3. Nicom. c. 5. 2. Eudem. c. 6. Goclen. q. 74. Eth. Casus l. 3. sp. mor. c. 1. Timpler. l. 4. Eth. c. 3. q. 12. Hornei. l. 3. Eth. c. 4. n. 29. *Corruptâ voluntate omnis vitiosus agit, non semper ignorante & invitâ.* Dicitur *in definitione*, quòd ejus principium sit voluntas libera, *ut non vi, coactione, aut externis modis violentis adigatur: Aliàs persvasione, instante periculo, supremâ necessitate, induci potest ad agendum, ut tamen non cogatur. Sic cùm mercator aliud medium non videns, merces in mare pro servandâ vitâ projicit, liberè eligit mercium perditionem præ vitæ perditione, de quo* th. 18. Agentis, *ut voluntas in actu exteriore edendo occupetur. Dividitur enim* actus exterior *in voluntarium & involuntarium. Agens autem agere potest* vel directè, *cum voluntas est principium positivum realiter efficiens, ut cum David mœchatur cum Bethsabeâ:* vel indirectè. *Hocq;* vel privativè, *cùm voluntas non impedit, quod posset & deberet impedire. Sic gubernator submersionem navis voluit, quando sufficienter potuit eam impedire, & debuit: Carceris præfectus aufugium captivorum voluisse dicitur, cum illud potuit & debuit impedire, & non impediit:* vel positivè, *cùm moraliter voluntas ad factum alienum concurrit, Iubendo, consulendo, approbando, promovendo, fovendo & defendendo, &c. sic cædem aliquis voluisse dicitur, si alium eò incitavit, adjuvit,*

 mo-

modos subministravit. Sic furta vult, qui fures servat, occultat, fovet. Unde Germani: Häler vnd steeler seind gleich gut. *Dicitur* voluntas eligens, *ut illa in ultimo volitionis puncto libertatem habeat eligendi aut non eligendi: aut ex duobus unum eligendi, alterum reprobandi: nam si hac vi non sit instructa, non etiam libera dicitur.* Omnes circumstantias sciens, *nam si ignoret quædam, non est actio libera, sed invita: si enim scivisset circumstantias, non elegisset.* V. c. 19. Quà tales, *i. e. ut sciat circumstantias, non solùm confusè, & ut res quædam sunt, quomodo bruta, cum finem suum cognoscere dicuntur, non tàm finem, quàm materiale finis noverunt: Sed distinctè, quatenus ad operationem moralem moraliter se habent, eamq́ meliorem vel deteriorem facere possunt. Objiciuntur enim appetitui non ἀλόγῳ, sed ἐλλόγῳ & rationali.* Voluntarium est vel intensè & perfectè voluntarium, vel remissè, & imperfectè. Intensè, *ubi nulla voluntatis est imminutio, sed destinato consilio & proposito illa agit. Ut cum ex proæresi quid agitur. Ut cum David sciens volens mœchatur.* 2. Sam. 11. *& auditores* Jeremiæ *scientes volentes consilio* Jeremiæ *repugnant.* Jer: 44. v. 16. *Proæresis augetur*, vel per iterationem, *cùm semel iterumq́ aliquid proponitur:* vel *per protensionem, cum diu proponitur:* vel *per intensionem, cum omni conatu & cupiditate proponitur, & quo magis factū producitur, eò major voluptas capitur:* vel *spontaneam alicujus affectus admissionem, ut eò confidentiùs quid agatur. Sic cùm quis consuevit deformi, majore libidinis affectu, eoq́ liberiùs peccare creditur, quàm qui formosæ, quia formosa magis illiciunt, minùs deformia. Sic cùm iræ quis suevit, ut eò violentiùs homines lædat vel jugulet. Sic cum ad dolos quis suevit, ut eò paratiùs homines dementet. Unde in* dolo *major præsumitur proæresis, & lata culpa, ut ICti loquuntur.*

18. Remissè voluntarium est, *ubi eligitur aliquid cum imminutione & refractione quasi libertatis, ita ut si aliquid non esset, quod electionem suaderet, non eligeretur. Tale est* 1. Cum *per affectum humanum, & perturbationem ex humanâ infirmitate ortam quid perficitur. Vt qui proclives ad iram sunt, facilè stomachantur. Qui proclives ad Venerem, facile libidinibus se objiciunt, nisi validè obsistant. Talis affectus liberare solet à tanto, etsi non à toto: & minor proæresis in tali subjecto præsumi solet, mitiusq́ per affectum vehementiorem peccantes puniri solent.* 2. Cum *per præmia, persuasiones, illectiones inducimur ad agendum, quod aliàs non ageremus. Sic cùm ob honores & temporalia ejuratur religio, ob lucrum mentimur, ob famam comparandam Dianæ templum incenditur.* 3. Cùm casu *necessitatis aliquid eligitur, quod sine illo non eligeretur. Huc pertinent celebres istæ* actiones mistæ, *ut vocantur, quas alij inter voluntarias & invitas medias statuunt, alij ad voluntarias referunt, alij ad invitas. De quibus hic dicendum.* 1. Actiones tales *spectatæ ratione principij externi moventis & primi motus possunt dici involuntariæ. Nam unde incitatur talis actio in voluntate, est externum violentum quid, quod nisi adesset, nunquam voluntas talem actum eligeret. Sic cum latroni promittitur pecunia pro redimendâ vitâ, nunquam pecunia promitteretur, nisi externa vis latronis imminens, eò moveret. Sic cum eligitur mercium ejectio in mare, causa movens est ingens tempestas, & imminens vitæ periculum: Cum eligitur sectio aut detruncatio membri, causa movens est morbus serpens in corpore, & periculum vitæ illaturus, nisi membrum avellatur. Quæ causa nisi esset, nunquam ad actum istum eligendum deveniret voluntas. Item in primo motu aggressus, ubi voluntas invitè se habet. Sic cùm latro viatorem aggrediens vitam aut bona deposcit,* gut / oder

volut/ *in primo puncto postulati involuntariè se homo habet.* 2. Actiones tales ratione principii interni eligentis *spectatæ, voluntatis, consideratis omnibus circumstantiis unum eligentis ex duobus, magis dicendæ sunt voluntariæ & liberæ. Ratio ex tribus est.* 1. Ex objecto, *quia duplex objectum hic est, ad quod utrumq; eligendum voluntas est indifferens. Vbi ergò ex duobus eligitur unum, omisso altero, quod etiam eligi potuisset, ibi omnino liberè proceditur, quicquid sit de motivo, quo eligens magis in istud objectum eligendum movetur, quàm hoc.* 2. Ex principio eligente, *quod hic est in ipso eligente, nempe voluntas. At ubi principium est in ipso agente, spontaneum est, per* 3. Nicom. c. 1. *Voluntas autem & in eligendo & imperando hic est libera.* Eligendo, *quia ex essentiali suâ libertate indifferens est adutrumq; medium propositum: & tàm posset vitæ amissionem eligere, quàm redemptionem cum pecuniæ retentione. At consideratis omnibus circumstantiis satiùs intellectus judicat, pecuniam amittere, quæ recuperari potest, quàm vitam, quæ non potest. Et secundum dictamen practicum intellectus, liberè se applicat voluntas ad sequendum illud, cum & suâ libertate potuisset verissimè vel non eligere, vel etiam oppositum eligere: nam posito quocunq; dictamine intellectus adhuc illa ultimatè libera manet ad sequendum vel divertendum, ut* c. 11. *dictum est. Sequitur autem jam intellectum, & eligit pecuniæ amissionem præ vitæ amissione, quam respuit, & æquè propter libertatem eligere potuisset. E. omnino liberè eligit, & hac ratione actiones hæ potius sunt voluntariis annumerandæ, quàm invitis. Nam quæ ex consilio proveniunt, ea omninò sunt voluntaria, etsi metu extorqueantur. Quamvis non sint absolutè spontanea.* Imperando, *facultati locomotivæ imperat exequi id, quod voluntas elegit. Vt pecuniam latroni numerare, merces in mare projicere. Et ita etiam est libertas.* 3.

Ex

Ex fine talis actionis. *Voluntariè homo vult vitare mala, quæ metuit, & comparare bona, quæ intendit. At cujus finis & electio est in nostrâ potestate, illa actio voluntaria magis est, quàm involuntaria. Sed hujus actionis finis talis est. Servare vitam, vel perdere in nostro arbitrio est. Cùm ergò alterum eligitur, liberè eligitur. E. & hæc actio ratione talis finis spectata omninò est voluntaria. Extra tales circumstantias & casum periculi invitæ dici possunt: In istis circumstantiis & casu magis voluntariæ dici debent. Quamvis hic non sit voluntas cum gaudio & voluptate quadam, quod in omni libertate non necessarium: sed tristitiâ. Possumus liberè aliquid appetere, si ad duo proposita ex æquo simus indifferentes: sed vel appetitu læto, vel tristi. Hoc indifferenter ad libertatem se habet. Læto, ubi nullus casus ingratus accedit: Tristi, ubi talis adest. Ita nolens volens aliquis agere dicitur. Sic quæ metu iræ divinæ, pœnarum civilium, legis rigidæ fiunt, spontè fiunt, etsi aliàs, nisi illa essent, non fierent. Et hoc modo magis voluntariis quàm invitis actiones tales accensent* Aristot. c. l. Hornei. 3. Eth. c. 4. n. 11. Becan. p. 2. T. 1. tr. 1. c. 2. q. 10. §. 19. Th. sch. Casus l. 3. spec. mor. c. 1. Chr. Matthias d. 8. l. 2. Eth. c. 42. Elerus d. 4. Eth. t. 33. Zapfius distin. Eth. d. virtute. §. 44. Amesius l. 2. med. The. c. 10. §. 32. Gutkius dis. 3. Eth. t. 8. *aliiq́. Alii ad invitas referunt.* Keckerm. præc. Eth. d. volunt. §. 37. Donaldson. l. 2. Eth. c. 6. *aliiq́. Actiones hæ mistæ* vel laudem *merentur, ut si quis indecorum suscipit ob ingens bonum consequendum, ut cum Solon instar furiosi in forum cucurrit, ut perniciosam aliquam legem abrogaret:* vel vituperium, *ut si indecorum suscipitur ob vilem causam, ut cum Esau primogenituram vendit ob pultem,* Gen. 25. *spe lucri patria proditur: aut cum Judas ob exiguam pecuniã magistrum suum prodit.* Matt. 26. vel veniam, *ut cum ob gravia*

malæ

mala fugienda indecorum committitur: ut cum servus gravissimè cruciatus heri sui consilia & acta prodit: cum viator gravi metu coactus latroni silentium juratò promittit de latrocinio & pecuniâ promissâ exsolvendâ. Multa *de ratione voluntarij hic quæri possint. Vt,* An *detur post lapsum liberum arbitrium in homine ad civilia?* An *in Dæmonibus libertas ad bona & mala civilia detur?* An *& in infidelibus?* An *& in brutis voluntarij sit ratio?* An *potius spontanei eorum actus dicendi?* Quid *differat voluntarium & spontaneum?* An *per concupiscentiam impediatur libertas agendi?* An *omne peccatum debeat esse voluntarium?* An *& intellectus sit facultas libera, & quomodo?* An *libertas arbitrii sit actus, habitus, potentia activa vel passiva, an substantia aliqua?* Quodnam *subjectum, objectum liberi arbitrij?* An *& præsentium &, futurorum, & mediorum, & finis sit?* An *libertas actionum humanarum verè consistat cum præscientiâ, determinatione, providentiâ & prædestinatione divinâ?* An *cum concursu causæ primæ cum secundis?* An *malum sub ratione mali â voluntate appeti possit? Hæc & similia brevitatis gratiâ sunt omittenda. Quædam de his* ap. Becanum c. 1. q. 10. Valentiam T. 2. d. 2. D. Meisn: d. 21. Antr. & p. 3. Ph. sobr. s. 1. c. 1. & c. 3. q. 4. & c. 4. q. 2. D. J. Mart. C. 1. d. 10. q. 8. Boethium d. cons. Phil. l. 5. pr. 2. Bellarmin. l. 3. d. lib. arb. c. 7. 8. 9. seq. Pareum in illa Bell. loca, Cumelium T. 1. in part. 1. Thomæ dubi. 3. p. 56. seq. & T. 2. *per totum.* Horneium l. 2. Eth. c. 4. Arriagam d. 8. d. anim. n. 46. *aliosq́; videas.* Ultimò *hic nota,* το sponte *ab authoribus etiam ad inanimata extendi, quod negat quidem Scaliger,* ex. 62. s. 2. *sed usu authorum reclamante.* Virgil. Ecl. 4. *sponte suâ sandyx pascentes vestiet agnos. &* 6. Aeneid. v. 81. *Ostia jamq́; domus patuêre ingentia centum sponte suâ.* Cicero 2. d. nat. deor. §.

31. *Ardor, qui est mundi, per se ipse & suâ sponte movetur.* *Et* de Senectut. §. 71. *Sicut suâ sponte, nullâ adhibitâ vi, consumptus ignis extinguitur. Similia apud alios reperias.*

19. Actus involuntarius est, *qui fit voluntate repugnante & ignorante. Estq;* vel violentus, vel ignoratus. Violentus est, *cujus principium est externum, ita ut voluntas non velit nec juvet actum, sed obsistat. Aliàs omne objectum movens appetitum est externum agens, nec tamen violentum, sed quod ita externum, ut voluntati repugnet Quomodo physicè violentum, quod non solùm extra naturã, sed contra eam. Estq;* vel ratione actionis, *cum invitè agens nihil confert ad actionem, ut cum manu tuâ alius robustior alium verberat, quod tu agere nolles:* vel passionis, *cum ad passionem nihil confertur. Vt cum caro suilla violentè ori ingeritur. Vt* 2. Macc. 6. v. 18. *Cum vento vehementi impellimur in scopulum: Cum hostis potentior nos rapit in periculum.* Talis actus *propriè loquendo non est moralis, sed potiùs ei opposit⁹. Nec producitur â voluntate moraliter se habente, sed violentè constitutâ.* V. t. 7. *Adducitur tamen hic,* quia voluntario est oppositus. *Oppositorum a. juxta se positorum clarior exurgit explicatio. Estq; divisio actus in voluntarium & violentum velut* analogi in analogata, *Vbi per prius actus moralis est una species, per posterius altera.* Ignoratus, *cujus principium est ignorantia ejus, quod agitur.* Ignorantia *hic sumenda non negativè, pro nescientiâ, quomodo nesciuntur ea, quæ sciri ab homine non possunt, ut arcana hominum cogitata: Sed* privativè, *eorum, quæ sciri possunt & debent. Hæc* est vel juris, *& hujus* vel *naturalis, ut honestè vivendum esse. Hæc in primis principijs non excusat, benè in conclusionibus inde deductis: Vt, si ignoretur, an lethaliter vulnerato mors acceleranda, & acceleretur:* vel divini, *hæc apud Christianum in re*

 mo-

morali non excusat: vel positivi *& humani, hæc ante promulgationem & receptionem excusat, non post illam: & si sit de re abstrusâ & intricatâ, nec sit ad manus, qui explicet eam:* Vel facti. *Et hujus* vel proprii, *cum vel persona ignoratur, circa quam agitur, ut cum Loth ignorans filiam constuprat.* Gen. 19. *Iudas cum nuru incestum committit, quam ignorat esse nurum.* Gen. 38. *Oedipus Tajum parentem occidit, quem ignorat esse patrem:* Vel res *ignoratur, circa quam versamur. Vt cum Harpagus filij membra ab Astyage proposita comedit.* Justin. l. 1. vel circumstantia, *ut locus, tempus, finis, intentio, &c. Sic 200. Viri ignorantes consilium Absalonis, sequebantur eum.* 2. Sam. 15. v. 11. Vel *ipsa actio & causa efficacia, ut cum Noa ignorans se nudum jacere, nudatus jacet in tentorio.* Gen. 9. *cum Groenlandus ignorans vim vini inebriatur: cum puer ignorans vim scolpeti traijcit globo alium.* Vel alieni, *cum ignoratur, quid alius egerit, ut cum fur auferre aliquid proposuit, ignorans, ab alio illud jam ablatum esse. Sunt & plures ignorantiæ* divisiones, *Quomodo est vel vincibilis, vel invincibilis: vel totalis, vel partialis: Vel crassa, vel levis: vel antecedens factũ, vel comitans, vel consequens: vel puræ negationis, vel pravæ dispositionis, & aliæ, quas ap.* Hornej. l. 3. Eth. c. 4. n. 12. 13. Becan. c. l. c. 2. q. 10. §. 36. 37. &tr. 2. c 4. §. 4. Valentiam c. l. q. 1. p. 6. Alstedium Th. Casu. c. 2. §. 4. & c. 12 §. 1. Brochmand. d. lege c. 2. Raconis in Eth. p. 48. *altosq́ videas. Breviter de illâ hæc habe.* 1. Aliud est, *ignorantem esse, aliud per ignorantiam aliquid facere. Prius non semper excusat, sed posterius. Sic qui ex habitu vitij agit, ignorat, quid honestum sit: sed non per ignorantiam agit, sed per vitiosam assuefactionem.* 2. Excusatio *vel est totalis & â toto, vel partialis & â tanto. Non semper excusat ignorãtia totaliter, etsi quandoq́ partialiter. A gravitate culpæ excusare*

cusare potest, etsi non semper à culpâ. 3. Excusatio *alia est in foro soli & coram homine, alia in foro poli, & coram numine. Coram homine excusat interdum ignorantia, non coram numine. Sic servus ignorans voluntatem Domini vapulabit tamen*, Luc. 12. v. 18. *& pro peccatis ignorantiæ sacrificia in V. T. Deus ordinârat.* Lev. 5. v. 17. *Et quævis anomia hominem peccati reum facit.* 1. Joh. 3. v. 4. *sive ex ignorantiâ, sive ex scientiâ commissa.* 4. Ignorantia *invincibilis in se excusat: non semper in suâ causâ. Vt cum ebrius ignorat, quid agat, non habet ignorantiam invincibilem, potuisset enim non inebriari, & sic ignorantiâ carere, per quam peccat.* 5. Ignorantia *facit excusationē non propriè & formaliter, quasi positivè influeret ad excusationem, est enim privativū quid, quod nequit per se esse causa positivi: sed impropriè & accidentaliter, quia removet scientiam, quæ aliàs impedimentum obstans esset, ne aliquid fieret. Sic si Iuda scivisset, mulierem illam nurum suam esse, non rem cum eâ habuisset. Sic Aristot. absentiam gubernatoris â navi causam submersionis vocat, quæ propriè est tempestas ventorū.* 5. Meta. c. 2. 6. Ignorātia *hic intelligitur in casu morali, nō naturali: in hominib⁹, nō brutis: in perfectis & mente judicioq; præditis, non imperfectis, ut infantibus, furiosis, maniacis, somniantibus, noctambulonibus. In his quia nullus usus rationis, aut non satis distinctus & legitimus est, nec actio humana, nec moralis propriè esse dicitur. Vnde & furiosum in ipso furoris actu delinquentem â pœnâ absolvunt leges civiles. De quo* Camerar. C. 2. c. 7. & Digestor. l. 48. tit. 8. leg. 12. *vide. Plura ap: allegatos authores de ignorantiâ lege.*

20. 4. Actus *moralis est* vel imperatus, vel elicitus. Imperatus, *qui ad imperium voluntatis ab aliis potentiis elicitur, ut sentire, ire, manum extendere, comedere, bibere, intelligere, sensualiter appetere.* Elicitus, *qui immediatè ab ipsâ vo-*

luntate elicitur, ut volitio, appetitio, electio, aspernatio, decretio. &c. Quidam hanc divisionem eandem cum illâ in actum externum & internum faciunt. Becan.p.2.c.l.c.3. *Et ita* t.16. *ad vulgatam usurpationem terminorum respectum fuit: Sed diversas esse facilè patet. Actus imperati illi dicuntur, qui à voluntate imperantur alijs potentiis. Et* abstrahunt ab actu interno vel externo, *non præcisè sunt externi. Sic intellectio, consultatio, sunt actus imperati, etsi interni, non per externa facta sensibus conspicui. Actus elicitos esse internos fatemur: sed actus imperatos semper esse externos diffitemur.* 5. Actus *moralis* vel est antecedens habitum, vel consequens. Antecedens *est, qui â voluntate nondum habitu instructâ procedit. Vt cum quis incipit justè, temperanter, modestè agere.* Consequens *est, qui â voluntate habitu præditâ procedit. Vt cum justus justè, virtuosus virtuosè, vitiosus vitiose agit.* Quomodo hi act⁹ differant, *an specie, an gradu perfectiore & imperfectiore tantùm, quæritur? Non differre specie sentit* D. J. Marti. C.1.d.9.q.8. Even.d.4. Eth.corol.5. *Et facilè patet.* 1 Quia *habēt eadē objecta, circa quæ versantur. Sic qui ex habitu liberaliter agit, & qui ex dispositione initiali, uterq́ circa opes versatur. Sed quorū actuū eadē sunt objecta specialia, illi non solēt esse totâ specie diversi.* 2. Quia *eadem normâ dirigente gubernantur, ratione prudente, etsi in uno excelsiùs illa se habeat, quàm altero.* 3. Quia *eandem causam producentem habent, voluntatem humanam, etsi in uno ex habitu illa agat, & sic promptiùs: in altero ex dispositione, & sic remissiùs. At actio magis aut minùs prompta non diversificat speciem actuum.* 4. Quia *ad eundem finem tendunt, honestatem moralem.* 5. Quia *eadē habent opposita sibi adversantia. Sic actui liberalitatis adversatur avaritia & prodigalitas, sive antecedat habitum, s. consequatur. Sed perfectione & imperfectione differre patet:*

Quia

Quia præcedentes *fiunt absq; constantiâ, vacillanter, difficulter, cum luctâ affectuum & perturbationum, facilè amittuntur, & disponunt ad virtutem secuturam, nondum ipsa perfecta virtus sunt:* Consequentes *promptè, faciliter, jucundè, & constanter fiunt, devictis & ad medium redactis affectibus, non facilè amittuntur ex subjecto, in quo radicati sunt, & ex ipso virtutis perfecto habitu proficiscuntur. Vnde graduale discrimen colligitur. Oppositum sentiunt* Piccolomin.gr.2.c.10. Timplerus l.4. Eth. c.3.q.10. & ex. Phil.3. q.15. *aliiq;. De quorum* rationibus *Videbimus in discursu.*

21. *Fuerunt* divisiones *actus moralis:* Causæ & principia *ex* th.8.9.seq. *patent. Subjectum actus moralis ultimatū est homo, qui benè aut malè moratus dicitur: Proximū est voluntas humana, & appetitus sensitivus, quatenus rationi subjectus, â quib: prodit actus humanus, & in quibus subjectatur, tanquā in subjectis mediatis & quib⁹, Vt* d.3.th.16. *ampliùs patebit Sequantur* affectiones. *Eæ* vel *absolutæ sunt, ut libertas, quæ est facultas activa operandi indifferenter: & illibertas, potentia operandi determinatè, ut in involuntario fit, qui modus operandi per analogiam moralis est,* V.t.19. *Bonitas & malitia, de quâ* th.13. *actum: Dispositio ad habitum moralem bonum, vel malum, &c.* vel *respectiva, ut Diversitas & oppositio.* Diversitas, *quâ ab actibus naturalibus, supernaturalibus & artificialibus differt.* A naturalibus *differt ratione, quà naturales dicuntur ipsæ essentiæ actionum circa tale objectum versantes, & ab hac vel illâ potentiâ elicitæ, ut ambulatio, visio, auditio, intellectio: Morales eædem actiones dicuntur, ut à voluntate morali, & ratione humanâ, quasi dirigente, procedunt, & quà libertatem ac fundata in eâ spectantur, ut laudis vel vituperii, meriti vel demeriti capaces esse possint. Sic ambulatio in Petro & Iudâ naturaliter est eadem; moraliter diversa: quatenus*

Pe-

Petrus intendit orare, Iudas Christum prodere. Ex hac liberâ directione in bonum aut malũ finem habet iste actus esse suum morale. Bellarm. l.4. d.lib.arb.c.1.*ad actus naturales hominis etiam bella gerere refert. Sed hæc & similia, ut Remp. administrare, mercaturã exercere, domos extruere, rectiùs civilia, quàm naturalia dicuntur. Naturalia sunt ea, quæ vel homini cum brutis sunt communia, ut ambulare, edere, bibere, &c. vel ita sunt propria, ut à naturâ ejus fluant, ut intelligere, loqui, &c. Non quæ liberè ab homine eliguntur, ut bella gerere, mercari, &c.* A supernaturalibus *differunt principio, quod in illis est divinum & eminens, non morale & humanum: & objecto, quia versantur circa Deum supernaturaliter revelatum. Vt actus fidei, caritatis spiritualis.* Ab artificialibus *quî differant, t. 7. dictum. Principio, objecto, & fine differunt. Quidã etiam differre faciunt actus morales* à moribus, *unde inter mores & actiones morales distinguunt, ut mores sint quædam promptitudines naturales benè vel malè agendi: actiones morales motus ad bonum vel malum morale determinati. Sed ex ambiguitate vocis, mores, hoc pendet, quæ modò latiùs, modò strictiùs sumitur. De eo* Timpler. l.4. Eth. c. 1. q 3. *videas.* Opposita *actus moralis sunt privativa & disparata.* Privativa, *carentiæ actuum moralium in subjectis aliàs capacibus, ut in pueris, hominibus ignorantibus, & nullis legibus constrictis.* Disparata *actuum moralium sunt omnes actus angelici, artificiales, naturales, theoretici, de quibus t. 7. ex parte dictum est, à quibus actus morales tanquam disparatæ species differunt. Et hæc* de actib. moralibus *generaliter dicta sufficiant.*

Adjectaneum.

Potest esse voluntarium in homine sine ullo actu. Vt voluntariè ab actione cessare, agere omittere, &c.